

Nuntio ejus rei allato, statim custodiæ præfectus arcta Seniam obsidione cingere, omniaque ad eam urbem euntia ac redeuntia navigia capere jussus. Ex ea re cum sumimam molestiam Rodulphus Imperator cepisset, remque communem agi arbitraretur, Turcas non minus a mari Reipublicæ, quam a terra sibi infensos esse dictitans, Carolo Archiduci patruo, ut in noxios animadverteret, ablata reddi juberet, præcepit. Per eos dies a Decemvirum collegio in Jacobum Superantium, Equitem ac Marcium Procuratorem, civem eximia apud cunctos ordines existimatione, animadversum, quod occulta Senatus, eo ad ecclesiasticas dignitates graduum sibi facturus, Principibus significasset. Re per multos menses in eo consilio acta, tandem augusto procuratoria dignitate exutus, Justinopolim deportari, ubi reliquum vitæ tempus conficeret, jussus est. Egregius alioqui civis, omnes honorum gradus domi forisque emensus, ac in Reipublicæ gravissimis negotiis versatus, sublimi atque elato animo, qui fere privati civis fortunam conditionemque egredetur, æquanimitate & constantia eum casum tulit, sententiæque nuntium excepit; ac ne minimum quidem vultum faciemque immutatus, prompte supremi consilii jussis obtemperaturum effatus. Eodem animi vigore & constantia cum aliquot annos Justinopoli vixisset, in patriam tandem reditu impetrato, privatam vitam usque ad extremam ætatem egit.

Eodem fere tempore Carolus Emanuel, Sabaudiæ Dux, Catharinam, minorem natu Philippi Hispaniarum Regis filiam, uxorem accepit; idque cum Reipublicæ per Camerani Comitem legatum significasset, Petrus Duodus, Francisci filius, qui nuptias gratularetur, ad eum orator est missus. Monachio quoque per Andream Minutum allatæ ab Villelmo Bajoariæ Duce literæ, quibus significabat, Gebhardo Truchsesio, qui infandis sacratæ virginis nuptiis a catholica religione desciverat, in Coloniensi archiepiscopatu ac septemviratu a canoniciis Ernestum fratrem, Leodii Antistitem, fuisse suffectum: ei Gregorium Pontificem Maximum pecunia, Philippum copiis præsto esse; iis devictum Truchsesium latitare, & Carolum fratrem nova moliri, protestantibusque Principibus adjutum, denuo bellum meditari; id si redintegretur, a Senatu, pro-

*Jacobus  
Superan-  
tius exilio  
a Decemvi-  
ris dannatio-  
sus.*

*Caroli E-  
manuelis  
Sabaudiæ  
Ducis, cum  
Hispania  
Regis filia  
nuptia.*

*Petrus  
Duodus ad  
Sabaudum  
orator.  
Ernestus  
Bajoarius  
Coloniæ Ar-  
chiepiscopus  
eligitur.*